Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1981
Quelle:
Copyright:

Joh. de Mella, *Joh.* Archiep. *Tarentinum*, *Thomam* Ep. *Tragurien. Ludovicum* et *Nicolaum* Abbates jam supra memoratos. Incipit: *Cum ex certis rationabilibus causis* &c. data 1433. *Nonas Maij*, ut *Mans. col.* 734.

Fol. 409. Resumuntur *Basileensia:* 1) *Oratio Magistri Jo. de mella ambasiatoris Domini Eugenij pape quarti facta die VII. Marcij 1433.* Init: *Noli timere filia Sion* &c. ut apud *Mans. col.* 685. 2) *Oratio domini Nicolai abbatis sancte Marie De Moniacis apostolice camere auditoris alias Cecilie*, pro quo *Mans. col.* 689. *Siciliæ.* Incipit: *Ecce nunc tempus acceptabile* &c. et habita fuisse videtur eodem die. 3) *Responsio Sacri Concilij Basilien. data* his Oratoribus. Incipit: *Sperauit hactenus hec sancta synodus* &c. ut apud *Labb. col.* 476. 4). absque Inscriptione Decretum de *Judaeis: Saluatoris nostri ihesu christi sequens vestigia* &c. e *Sess.* XIX. ut *Labb. col.* 312. 5) *Tenor literarum patriarche Constantinopolitani sub bulla plumbea que de greco in latinam translate sunt.* Ineunt: *Joseph* &c. *Literas R. v. recepimus per Reuerendum anthonium* &c. ut *Labb. col.* 310.

Fol. 420. p. 2. Sermones II. 1) *M. Petri de Pulka* nostri in illud: *Tu es Petrus. Matth.* 16. Init: *Quia eterna Dei sapientia dominus noster Ihesus Christus — Johannem baptistam — Helyam vocare dignatur* &c. Ita et *Simonem* dixisse *Petrum*, in quo *Petro* eluceret: *fidei claritas, vite puritas, apostolica dignitas.* Ad summum Pontificem tota dirigitur oratio, verum ad quem? Concilio *Constantiensi* oratorem Universitatis *Vien.* adfuisse novimus *Petrum. Pisano* adfuisse nemo dixit. Atqui *Sermo* hic et in *Alexandri* V. nomen, et in Patriam *Candiam* seu *Creten* commentatur, et Pontificii sub finem unionem cum *Graecis* commendat, *ad quod V. S. maxime dinoscitur ydonea propter communicacionem generis et lingue.* Ad an. 1409. pertinet nova haec Theologi nostri corolla. 2) *M. Nicolai Dinkelspühl.* Adde *Alberti* Ducis *Austriae* ad *Constantiense* Concilium Oratoris Gratulatio recens electo *Martino* V. Pont. in illud: *Ecce constitui te super gentes et regna* &c. *Jer.* 1. Inter alia ait: Cum intellexisset *Albertus* eum Pontificem creatum, *in signum letitie ordinauit pulsari campanas per omnes ecclesias ciuitatis viennens. vbi et per duos dies pro gratiarum actione cum multa solempnitate celebrate fuere festiue misse, ymo tanta fuit fidelium exultacio, quod quasi per modum iubili in vna ecclesia simul in octo locis cantabatur Te deum l. humanis vocibus iuncto omni genere musicalium instrumentorum, 3° vero die congregato iterum toto clero et vniuersitate studij viennens. fiebat solempnis processio per ecclesias cum multa celebritate missarum, quibus omnibus illustris princeps antedictus in propria persona cum omni sua curia et plebe ciuitatis deuotissime interfuit* &c. Addit: Quoniam ipse *propter multa impe-*